Davus Circulus, MMXV

Consalvus ille Rapidus: Episodium 1

Videmus saepimentum quod est fines inter Mexicum et Civitates Foederatas Americae. Etiam videmus quinque mures Mexicanos pauperes et esurientes qui officinam Americanam caseo faciendo deditam cupide spectant. Fele custode conspecto, quidam ex muribus subito exclamat, "Ecce, O amici, feles adest!" Omnes mures celeriter terga vertunt. Feles custos se graviter gerens atque potestate ebrius prope saepimentum superbe deambulat. Quinque mures post cactum magno cum metu spectant.

Consilio culmorum capiendorum capto, multi mures infortunati elegunt aliquem, qui periculum casei surripiendi referendique subeat. Quidam loquitur, "O Immanuel, victor es quia cepisti culmum brevem! "Quam fortunatus est!" inquit alius mus. Musica funesta audita, Immanuel misellus et stupefactus ad finem progreditur tremens tenensque in manu dextra culmum calamitosum!

Mus quidam Immanuelem adloquitur, "Petasum tibi conservabimus, si vis, nonne, O Petre?" Cui Petrus annuit. Immanuel anxie procedere coepit. Feles custos eum animadvertit. Spectatores sursum deorsum silientes

exhortantur, “Agedum! Curre, O Immanuel, curre!” Quamquam nihil aliud nisi mures spectatores videre possumus, musica et vultus murum indicat Immanuelem ex vita discessisse. Mus qui petasum Immanueli conservabat, eundem iecit in – pro dolor! – acervum qui ex petasis murum mortuorum constat.

Mus quidam orationem habet in consilio murum aliorum. Is “Est unus tantum,” inquit, “mus qui caseum obtinere potest atque ille est Consalvus ille Rapidus.” In oribus omnium mussitantium est nomen Consalvi illius Rapidi. “Consalvusne ille Rapidus?” loquitur quidam nesciens quis ille sit. Alius, “Quis est?” Tertius mus respondit, “Consalvus ille Rapidus est toto in Mexico mus rapidissimus!” Quartus mus rogat, “Potesne arcessere Consalvum istum?” “Certe,” inquit orator, “Consalvus ille Rapidus est amicus mihi sorori.” Mus quidam loquitur, “Consalvus ille Rapidus est amicus unius cuiusque sorori!” Omnibus famam illius bene intellegentibus, risus magnus movetur. “Vobis monstrabo!” orator inquit, “Consalvum illum Rapidum ego arcessam!”

Nunc videmus oppidulum Mexicanum ubi multi spectatores stant sub signo, in quo scribitur, “Quini conatus! Vicenis et quinis “pesos”! Percute Rapidum Illum et praemium magnum consequeris!” Consalvus glandes emissas tenui Minerva declinat et se iactans deridet, “Age, agedum! Celerius!

Quid est negotii, O amici? Num deestis? Agedum!" Mus quidam vocat, "Heus! Rapide!" Oculis Consalvi deflexis, nescioquem petasum eius glande emissa percutit. Consalvus a periculo ad murem qui ad se vocavit aufugit. Mus Hispane facit Consalvum certiorem de fele custode formiduloso. Consalvus respondit, "Estne feles alienulus difficiliter [sic]? Alter respondet "Difficiliter prorsus! Visne, O Consalve, nos adiuvare?" Consalvus, "Sic, sic, concives adiuvabit Consalvus." Alter, "Gratias tibi ago, domine Rapide! Gratias!"

Consalvus gratissimus rapide advenit et omnes mures eum applaudunt. Consalvus applausus superbe excipit, quod felem custodem vexat. Consalvus oculos in felem fixos tenet et sursum deorsum siliens clamat, "Age, agedum! Cito!" Quamquam in Consalvum insilire conatur feles, ille felem eludit atque fines transit ad officinam caseo faciendo deditam. Rapidus redit et felem facile frustratur! Consalvus sub pectus felis tam rapide currit ut petasus suus capillos pectorales feli tondeat! Consalvus superbe caseum ad mures iaciens, exclamat, "Beneficio vobis, O domini dominaeque! Est copia magna unde hic inventus est! Age, agedum! Heia! Heia!" Consalvus ad officinam rursus proficiscitur plus casei surreptum. Feles custos rete ad Consalvum capiendum tenet. Feles Consalvum reti capit – vel potius ut videtur – sed Consalvus pergit tanta vi ut felem

miserum super cactos secum iterum iterumque trahit detrimento feli custodi! Quoque felem per plumbum trahit. Caseo capto, Consalvus redit atque feli pectus omnino tonsum est. Feles stupefactus id quod factum esse animadvertit. Omnes Consalvum multum casei tenentem applaudunt et in eum flores iniciunt.

Feles custos multas insidias ad mures capiendos factas diligenter deponit. Post saxum latet exspectatque. Haud procul Consalvus superbe exclamat, "Iterum te eludam, Domine Felule! Age, agedum! Heia! Heia!" Consalvus insidias tam velociter praeterit ut omnes insidiae sublimes mittantur et de caelo incidant in felem! Feles propter dolorem misere ululat donec una tandem ex insidiis os eius claudat.

Iterum Consalvus trans fines redit dum feles custos, captorem basipilarium se gerens, eum capere conatur. Putans murem se cepisse, inspexit sed cognovit se tenere basipilam. Deinde basipilam in officinam irate iacit sed – mirabile visu! – ex basipila exsilit Consalvus ille Rapidus, qui in basipila se occultabat! Consalvus plus casei sumit, dicto citius redit, et consistit ante felem loquens, "Salve, felule!" Subito effugit.

Feles custos, materiis displosivis terrestribus diligenter defossis, post saxum latet. Caudam suam quatit, nempe huc illuc movet. Consalvus post felem furtim venit et sic ridet ut

feles perterritus et sublimis siliat! Feles Consalvum persequi incipit sed in locum ubi materiae displosivae terrestres defossae sunt. Hac re cognita, timide consistit feles, qui maxima cum cura materias displosivas terrestres vitat. Spe renovata, discessit sed in materia displosiva terrestri statim ambulat et disploditur! Fumo dissipato, videmus felem graviter combustum esse.

Plumbo et ligno ad Consalvum prohibendum deposito, spes feli renovatur. Consalvus loquitur, "Nunc multo citius id faciam! Ecce! Numera! Age, agedum! Heia! Heia!" Dum ad aditum plumbi cito currit Consalvus, feles os suum circa exitum plumbi aperit ad Consalvum devorandum. Consalvus autem tanta vi currit ut per totum corpus feli praeterit, exiens ex cauda felis. Feles stupefactus est! Caseo ex officina surrepto, Consalvus redit et caseum surreptum manibus tenens, per feli caudam, culum, et tandem plumbum in Mexicum init. Omnes eum applaudunt. Feles violatus valde vexatur. Consalvus exclamat, "Occasione venienti omnem caseum nobis surripio!" Hoc audito, feles labore fere confectus, in officinam irruit, caseum relictum foras fert atque struit. Ad cumulum casei materiam displosivam adiungit. Deleturus cumulum casei, magna voce iactat "Age! Modo conare omnem caseum surripere!" Cumulo disploso, copia casei mirabilis visu et incremento atque gaudio omnibus, fele excepto, de caelo ad

mures Mexicanos pluit. Feles iratus caput in adminiculum telephonicum incutit. Consalvus loquitur, “Mihi placet hic Felulus – ridiculus est!”

Peracta est fabula. Plaudite, omnes!